



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 3. S. Ansberti Obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

di stabant, siccum reliquit. Processit ad eos Vir Sanctus, utrumque manibus prehensens matri afflictæ reddidit, & baptizavit. Crediderunt S. Wulframum super aquas ambulasse, & magna hominum multitudo ad Fidem conversa est.

Sæculum VII

A. C. 698.

## §. III.

*S. Ansberti obitus.*

Sanctum Ansbertum Archiepiscopum Rothomagensis Adversarii suspectum reddere conabantur Pipino Principi, quod in lite de Regno dividendo inter ipsum & Optimates exorta Pipino non favisset. Id anno 692. contigisse credunt. Hinc Theodorico Rege fati functo Pipinus S. Episcopum in Monasterium Aumontense ad Sabim in Hannonia relegavit, ubi assidue jejunans & orans exemplum virtutis Monachis præbuit, & ad ipsorum utilitatem non nullos Tractatus spirituales scripsit, qui non amplius extant. Cum vero sciret, Pipinum a quibusdam sollicitari, ut se in locum multo remotiorem proscriberet, misso ad eum Hadulfo Aumontii Abbate, tam claris argumentis facta sua purgavit, ut ei Pipinus ad Dicecesim suam redire concesserit. Ecce autem dum ad iter suscipiendum omnia parat, mortem sanctam oppetiit, anno Childeberti III. quarto, reparatæ salutis 698. Defuncti

*vit. S. Ansb. to, 2. Act. Be.**Hist. Eccles. Tom. IX.*

Nn cor.

**S**æculum VII corpus, vestibus Pontificalibus, quibus  
 A. C. 698. indutus ad Altare procedere solebat, or-  
 natum, & ad Monasterium Fontanelle  
 se reuectum est. Ecclesia ejusdem Me-  
 moriam 9. Februarii honorat.

*Mart. Rom.*  
 9. Febr.

## §. IV.

*Concilia in Anglia.*

**I**n Anglia S. Britoaldus Archiepiscopus  
 Cantuariensis aliqua celebravit Con-  
 cilia. Primum est Concilium Becancel-  
 dense anno 694., cui Tobias Episcopus  
 Rosensis cum Abbatibus & Abbatibus,  
 Presbyteris, Diaconis, Optimatibus, &  
 Vitredo Rege Cantii, interfuit. Pro-  
 misit Rex se Libertatem & Immunita-  
 tem Ecclesiarum & Monasteriorum con-  
 seruaturum, nec passurum, ut quisquam  
 eorum Bona usurpet, aut Electiones Ca-  
 nonicas impediatur. Profitetur etiam,  
 quod regere Ecclesias, atque eligere &  
 confirmare Episcopos, ad officium Epi-  
 scopi Metropolitanæ pertineat. Alterum  
 Concilium, cui S. Britoaldus præfuit,  
 Bergamstedæ anno Regis Vitredi quinto  
 id est Christi 697. celebratum. Adhuc  
 Gybmundus Rosensis cum aliis Viris  
 Ecclesiasticis & Rex comitantibus Sacer-  
 dotibus. In illo Concilio viginti & octo Ca-  
 nones conditi, qui etiam Leges (\*) dici  
 possunt.

*to. 6. Conc.*  
 p. 1356.

*to. 6. Conc.*  
 p. 1377.

(\*) His Canonibus præfixus est Titulus: *Hæc  
 sunt Judicia Withredi Regis Cantuariorum*  
 Conc. Tom. III. p. 1812.